



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

3 Votum necessitatis, est illud, quod quis in baptismo emittit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 59 Sebastiani Portugallia Regis mors.
 59 Regno Portugallia vacante praevidentes plures.
 60 Philippus secundus Hispaniarum Rex, possessionem regni Portugallia nactus fuit.
 61 Ducis Giciosa mors in praelio.
 62 Milites ordinis S. Iohannis Hierosolymitani tria vota substantialia emittunt.
 63 Dispensatum fuit Apostolica auctoritate cum fratre ordinis Hierosolymit. ut pro publica utilitate matrimonium contrahere possent.

- 64 Frater ordinis Capuccinorum ob publicam utilitatem, ex sede Apostolica facultate dux exercitus efficitur.
 65 Monachus causa maioris, & melioris boni, à Papa eximi potest à voto religionis.
 66 Voti dispensatio, ut sit legitima, requiritur non solum spiritualis potestas, sed etiam iusta, & necessaria causa.
 67 Voti vinculum, à vinculo iuramenti non differt.
 68 Dispensandi à voto causa, qua sint.

VOto ¶ plures obligantur, & quia voti vinculum, à vinculo iuramenti non differt, ut infra demonstrabitur, post iuramentum de quo feci, ad præcedentia continuando, nunc de voto est agendum. Votum autem est alicujus rei licitæ faciendæ, vel non faciendæ, cum deliberatione animi Deo facta pollicitatio. Hostien. in sum. de vot. & voti redempt. n. 1. & Bárt. in repet. l. 1. n. 67. C. de sacr. sanct. Eccles. Votorum plures sunt species, plures vovere possunt: pluribus ex casibus votum emitti, irritari, redimi, commutari, & dispensari potest, ut per Host. in sum. eod. tit. Votorum species sunt duæ
 1. ¶ unum est necessitatis, & est illud, quod quis promittit in baptismo, ut abrenūciare latanæ, & pompis ejus, tenere fidem, servare decalogum, & alia, sine quibus homo salvari non potest, c. primum, & c. parvuli, de consecr. dist. 4. & Host. eod. tit. n. 2.
 2. Alterum est votum ¶ voluntatis, & dicitur illud, quod quis voluntariè emittit, & ad quod quis ante votum non tenebatur, sed post votum astringitur, & sunt ea,

de quibus psal. 75. vovete, & reddite domino Deo vestro, & c. magnè devot. & voti redempt.

Voluntarium ¶ votum est duplex: alterum quidem solemne, & alterum simplex. Navar. de secun. præcep. c. 12. nu. 32. vers. 13. Solemne est, quod solennizatur per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitè factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis. cap. 1. de vot. in 6. Simplex ¶ votum est duplex, tacitum, vel expressum. tacitum quod sola mente deo fit, expressum, ubi verba, aut scriptura accedit. Sor. in 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 1. vers. ad solutionem. & Graff. deci. aur. c. 21. n. 9. par. 1. lib. 2. ubicunque enim ¶ vovens, vel promittens aliquid facere, quo facto, salus spiritualis, vel corporalis amitteretur, vel peccatū mortale incurreretur, non est votum servandum, neque iuramentum, neque pactum, neque consuetudo, neque lex, neque præceptum, neque aliquod aliud vinculum fraternitatis cap. inter cetera. cap. fin. S. & unde datur. 12.